Numquam erat amor maior quam inter mariam et eius natum
ergo nullum dolorem invenimus dolori marie equiparatum
Dolor ade et eve legitur nullum diu durasse
quia leguntur centum annis in luctu perseverasse
Sed si christus per centum milia annorum in morte perseverasset
maria numquam medio tempore a luctu et merore cessasset.
Cum igitur ioseph corpus christi de cruce deponeret
Affuit maria ut ipsum in brachia sua attolleret
Hic fasciculus mirre inter ubera eius commorabatur
Sicut in canticis canticorum de ipsa cantatur
Quam amarus mirre fasciculus fuit in corde marie
Collectio penarum quas sustinuit christus tota nocte et die
Quanto vinum dulcius et nobilius esse probatur
tanto fit acrius et amarius quando transmutatur
Sic quanto amor marie ad filium erat dulcior
tanto dolor eius in passione christi factus est amarior
Quam pie maria fuit olim per noemi prefigurata
que post mortem filiorum suorum nimium fuit amaricata
Que dixit nolite me vocare noemi quod est pulcra
Sed vocate me mara quod est amara
Valde enim me omnipotens amaritudine replevit
hoc dixit quando orbationem duorum filiorum suorum deflevit
Convenienter autem maria per noemi est designata
quia non erat solum uno sed duobus filiis orbata
Unum filium habuit per carnalem progenituram
alium autem inter miserie adoptaverat sibi per curam
Verus et carnalis filius erat ihesus marie
adoptivus autem universum humanum genus
Carnalis filius mortuus erat morte corporali
adoptivus autem tunc mortuus erat morte spirituali
In passione enim domini totum genus humanum fidem reliquerat
et ideo omnis homo in anima mortuus erat et perierat
Pro utroque magnam amaritudinem sustinebat
quia utrumque ex intimo cordis affectu diligebat
Et quamvis filium suum tamquam se ipsam et plus quam se ipsam amaret
tamen sibi placuit ut per mortem suam nos liberaret
Maluit enim dilectissimum nostrum illum cruciari
Quam nos morte perpetua eternaliter condempnari
Ex hoc possumus perpendere quantum nos amabat
que dilectum filium suum pro nostra salute mori affectabat
Cum enim una res pro alia datur vel commutatur
res que accipitur plus amari videtur quam illa que datur ; quam
Videtur ergo quod maria nos quodammodo plus quam suum filium diligebat
que potius ipsum cruciari quam nos condempnari volebat
Ex hoc etiam perpendere possumus quantum pater celestis nos amabat
qui unigenitum suum pro nobis in mortem dabat
Ambo igitur tam pater quam mater nos nimium amaverunt
et ut eos toto corde reamemus bene meruerunt
O bone ihesu da nobis hanc dilectionem ita recogitare
ut tecum mereamur in celis eternaliter habitare.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0099
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt